

diocris in victu, assidua in claustro, in publico rara, A
 tentata psalmis, et muta fabulis, in capitulo confi-
 tens et humilis, in choro serena [cod. Gem. seria]
 et simplex, in altari gravis et matura, in labore uti-
 lis et discreta, in dormitorio sancta et matura, in
 refectorio sobria et faceta; in incessu, statu et in
 omnibus motibus tuis, ut legis in Regula tua, nihil
 habens quod cujusquam offendat aspectum, sed sic-
 ut tuam deceat sanctitatem, ut in omni denique lo-
 cutione et in omni actione et in omni loco et tem-
 pore. erga omnem personam aptata sis et circumspe-

cta; quatenus semper et ubique et tibi parca, [cod.
Mel. pura] et proximis sis prompta, et Deo sis de
 vota.

Anima. Fateor, bene et congrue omnia dixisti,
 Beatus qui sic viveret, ut tu hic exhortaris.

Ratio. Sic itaque hæc dicta sint, ut nec ei qui de
 his verius profundius et nitidius dicere novit in ali-
 quo præjudicium faciamus: nec nos, si aliter aliquid
 diximus, superbe excusemus nec correctionem no-
 bis onerosam [cod. *Mel. impensam*] tumide respua-
 mus. Amen dicant omnia.

ANNO DOMINI MCLII-MCXIC.

GODEFRIDUS VITERBIENSIS

NOTITIA

(FABRIC., *Biblioth. med. et inf. Lat.*, t. III, p. 69)

Godefridus Viterbiensis (1), presbyter Conradi III qui an. 1152 diem obiit, Frederici I et Henrici IV, qui an. 1190 habenas capessivit imperii, capellanus ac notarius, post longinqua variaque per xl. annos itinera, locuplete linguarum rerumque comparata notitia, scripsit *Memorias sæculorum* (2) sive, ut aliis nuncupatum est, *Pantheon*, sive Chronicon universale, prosa partim, partim metro, ab orbe condito usque ad A. C. 1186, divisum in sectiones xx, et dicatum Urbano III papæ ab anno 1185 ad 1187. Primus edidit Basilius Joannes Heroldus, Basileæ 1569, in-fol., deinde Joannes Pistorius in limine tomi secundi *Scriptorum de rebus Germanicis*, Francofurt. 1584, et Hanov. 1613, in fol., novissime V. C. Burchardus Gotthelf Struvius in repetita Pistorianæ sylloges editione, Ratisbonæ 1726, in-fol., in qua accesserunt variæ lectiones codicis membranacei Norimbergensis. Partes quinque postremas sive sectionem xvi, xvii, xviii, xix, xx, hujus Chronici, in quibus plura ad res Italiæ spectantia, celeberrimus Muratorius inseruit tomo septimo *Theauri Scriptorum Italiæ*, p. 346, emendatioraque et integriora quædam dedit ex Chronico anonymo bibliothecæ Estensis, cujus auctor ex Pantheo profecisse se confessus fuerat. Aliud ejusdem Godefridi opus ms. in Biblioth. Casarea, quod aliquot post Pantheon annis scripsit et Henrico VI regi Romanorum et Teutonicorum dicavit, inscribitur *Speculum Regum*, de genealogia omnium regum et imperatorum, Trojanorum et Teutonicorum a tempore diluvii, usque ad Henricum VI, secundum Chronica Venerabilis Bedæ presbyteri, Eusebii et Ambrosii. Vide Lambecium t. II, p. 774, ubi pars epistolæ ad Henricum imp. Quibus usum auctoribus, quarum gentium res persecutum in Pantheo Godefridum, edocet præfatio ipsius ad Urbanum III papam.

(1) Neutiquam *Vitebergensis*, de quo dubitabat Baronius ad annum 1186, num. 22, neque *monachus Dominicanus*, ut Bernardo de Luemburgo per-

suasum. Vide Jacobum Quetif. t. I, p. 740.

(2) Non *Memorias Sanctorum*, ut legas apud Vos-
 sium.

GODEFRIDI VITERBIENSIS

PANTHEON

SIVE

MEMORIA SÆCULORUM

(Edidit clarissimus MURATORIUS *Script. Ital.*, tom. VIII, prætermisissis iis quæ ad Veteris Testamenti historiam et prima post Christi nativitatem sæcula spectant.)

LUDOVICI ANTONII MURATORII PRÆFATIO.

Godefridus, seu *Gotfridus*, cujus Chronico ex-
 mius locus in Collectione nostra debetur, Viterbii
 in urbe Italiæ natus est ac, propterea *Viterbiensis*
 titulo a reliquis ejus nominis distinguitur. Hanc ei
 patriam concordati calculo tribuunt eruditi, Baronio
 excepto qui, ad annum Christi 1186, eum appellat
*Gotifridum Viterbiensem (ut vulgo fertur) sive Vitem-
 bergensem.* Cur hanc dubitationem de Gotfridi pa-